SACRARVM LITERARVM
STVDIOSIS: SALVTEM
IN SALVATORE.

BIBL. GERHARD VAT.

MUNICIPALIS MEDIOLANENSIS BIBLIOTHECA

Iuuentuti: Sal. in Sal.

ADmirandum & inenarrabile beneficium est, quod æternus DEVS subinde in humano genere cœtum aliquem colligit, cui sese communicat, & multiplicia dona sapientiæ, bonitatis & misericordiæ suæ largitur. Ac est illud tantum, vt nullo vnquam sermone, vel mediocriter saltem prædicari possit. Nam si conditiones humanæ naturæ, sicut se habet in hac vita, considerentur, quid sumus aliud, quàm vasa, non tantum fragilitatis, verumetiam malitiæ & peruersitatis? Quid sumus aliud, quàm filij iræ, & hostes Dei, sicut rectissimè describimur à Paulo? Nihilominus tanto nos amore prosequitur Deus, tanta beneuolentia complectitur, tam paternè nobiscum agit, vt perpetuò sese nobis offerat, nos vocet, alliciat, trahat, & tandem etiam illuminet ad se confugientes, ita ut det eis potestatem filios DEI fieri, his, qui credunt in nomine eius. Nec verò tantum colligit Ecclesiam aliquam in his miserijs & sordibus humanis, verumetiam clementissimè eam tuetur & conseruat. Ac id quidem quàm mirabiliter sit inde ab initio vsq; ad nos factum, ipsæ Ecclesiæ descriptiones testantur. Inde sunt dulcissimæ illæ confessiones, & quasi testimonia de actionibus Dei in Ecclesia: Pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me: Laudate Dominum DEVM nostrum, qui non deseruit sperantes in se. Ad has verò actiones accedunt interdum peculiares in Ecclesia restaurationes, quando paulò longiùs à nonnullis est à vera semita veritatis discessum: Id enim si non fieret, iam non de virtute in virtutem, sed de vicijs in vicia procederetur. Neque enim vulgaris est hostis, de quo dicitur: Sathan quæsiuit cribrare te: Aduersarius uester circuit tanquam Leo rugiens, quærens quem deuoret. Sed proponitur tamen etiam consolatio ex intercessionibus Filij DEI, qui de seipso dicit: Ego oraui pro te, ne deficiat fides tua, & tu conuersus confirma fratres tuos. Idem subinde excitauit aliquos non tantum gregarios in vinea sua operarios, sed excellentes etiam artifices & restauratores. Eius rei constat esse complura in historijs Ecclesiasticis exempla. Sic egit igitur in Ecclesia DEVS ab ipso inde initio, usque ad nos. Sed sciamus eum idem usque ad ultimam mundi catastrophen, usque ad ipsam rerum humanarum periodum ultimam acturum. Nec est vllum ea de re dubium adeò, vt nihil uideatur magis uerum, certum atq; firmum. Nam quis non crederet hoc DEO fidelissimè id in uerbo promittenti, & creberrimè repetenti? Quis non haberet ipsi fidem, quem certum est, fallere non posse, sicut nec peccare, nec fallacis, mendacisq; Diaboli naturam assumere potest? In eum finem traditæ sunt Ecclesiæ promissiones illæ summopere dulces, & plenissimæ multiplicium consolationum: Vsque ad senectam, & usque ad canos uos portabo. Si mater infantis sui oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui: Non relinquam uos orphanos: Ero uobiscum usque ad consummationem seculi: Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Sed hæc tam sunt multa, & quidem non ignota, vt eorum recitationem copiosiorem nemo uideatur expetiturus. Hæc uerò beneficia, & ingentia & magnifica, & summis non tantum considerationibus, nec tantum prædicationibus, nec etiam admirationibus tantum, sed & gratiarum actione quotidiana dignissima esse, quis est tam rudis, qui non animaduertat? Quis tam à DEO alienus, qui non perpendat? Quis adeò peruersus, vt non fateatur? Inde Dauidis est orta gloriatio: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Eam utinam sepè repeteremus: vtinam uteremur ea tanquam domestica atque familiari & frequentiori studio uerbi diuini nobis quam communissimam redderemus. Vult profectò DEVS, ut ineffabilem bonitatis suæ thesaurum in uerbo diuinitus nobis propositum, non solum admiremur, sed studijs, meditationibus, ardentiq; fide assequamur, & sanctè fruamur. Sicut non abs re D. Augustinus Epistola tertia ad Volusianum sic inquit: Tanta est christianarum profunditas literarum, ut in ijs quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte puericia usque ad decrepitam senectutem, maximo ocio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere: Non quod ad ea, quæ necessaria sunt saluti, tanta perueniatur difficultate, sed cum quisq; fidem tenuerit, sine qua piè, rectèq; non viuitur, tam multa, tamq; multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca intelligenda, proficientibus restant: Tantaq; non solum in uerbis, quibus ista dicta sunt, uerumetiam in rebus quæ intelligendæ sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrantissimis cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: Cum consummauerit, homo tunc incipit.

Vt itaq; debitam gratitudinem nostram Deo ter maximo pro immensis beneficijs suis nobis hactenus tam clementer concessis, aliquo modo, si non datur ultra, exhibeamus: Et ut in nobis crescat uera agnitio Dei, fides, inuocatio, patientia, in sacro exercitio Theologico fortiter posthac pergemus. Ac postquam in transacto sexennio Ieremiam cum Threnis suis, deinde Danielem Prophetam sapientissimum publicis prælectionibus exegetica explicatione cum locorum communium tractatione absoluimus, posthac σὺν θεῷ SAMVELIS antiquissimi Prophetæ historias ad prædictam Methodum auditoribus pijs proponemus. Ac licet à multis sub delira hac mundi senecta meditationes sacrorum librorum, supercilioso & Epicuræo contemptu derideantur & negligantur, eo quod doctissimi passim extent veterum & recentiorum Theologorum Commentarij in singula monumenta Spiritus sancti, edita literis, ut quisq; priuatim & domi hisce exercitijs indulgere possit: tamen apertè profitemur, nullis seculis largissimum eloquiorum DEI fontem exhaustum esse. Et cum D. Ambrosio libro septimo Epistolarum exclamamus: Mare est scriptura diuina, habens in se sensus profundos, altitudinem Propheticorum ænigmatum, in quod mare plurima introierunt flumina: Sunt ergo & fluuij dulces atque perspicui: sunt & fontes niuei, qui saliant in uitam æternam: sunt & sermones boni, sicut faui mellis & gratæ sententiæ, quæ animos audientium spirituali quodam potu irrigent, & præceptorum moralium suauitate mulceant. Diuersa igitur scripturarum fluenta: habes quod primum bibas, habes quod secundum, habes quod postremum: collige aquam CHRISTI, illam quæ laudat Dominum: collige aquam de pluribus locis, quam effundunt nubes Propheticæ. Hæc Ambrosius. Et Apostolus sanctè consulit, ne extinguamus spiritus, neque Prophetiam contemnamus. Conueniemus autem in auditorio Theologico parrochialis Ecclesiæ 4 huius mensis, hora uerò ΧΥΙ λίδιον παλέω θεοῦ υἱὸν πάντα κρατέοντα· ἀνθρώπων σωτῆρα ὃς ἐξ ἐμεῦ ἤδη ἐόντων. His uiue & uale benè candide lector. Datæ in Parœcia Elisabethica, Anno exuberantis gratiæ 1574.

24. Esaias Heidenreich
S. S. Theologiæ
D.

Lipsiæ Iohannes Rhamba excudebat.

84 006/3

PROPHETICÆ ET APOSTOLICÆ DOCTRINAE IN ECCLESIIS ET SCHOLIS REIPVB. VRATISLAVIENSIS

pijs auditoribus

Salutem in Saluatore.

MOYSES DVX PROPHETICI CHORI, AVGVSTISSIMIS verbis Israëlitis regionem Cananæorum commendans & describens, inquit: Terram occupabis, quam Dominus Deus tuus semper curat, & in quam oculi Domini Dei tui defixi sunt à principio anni vsq; ad finem. Deut: 11. Inuocamus autem ardentioribus gemitibus æternum DEVM, qui est Pater Domini nostri IHESV Christi, & Dominus Angelorum & hominum, cœli & terræ, vt & communem patriam nostram, pro salutari anni currentis auspicio, cum vicinis Ducatibus & regnis, clementer regat & curet, curas & molestias nostras mitiget: Postea, vt oculos gratiæ suæ in nos perpetuò defixos obtineat; Nec quidem tantum in vnum & alterum mensem; Sed à principio anni vsq; ad finem, hoc est, semper. Atq; vt ad intuitum gratiæ diuinæ nos propiùs accedamus, quemlibet nostrum decet, de studio Verbi saluifici anxiè solicitum esse, iuxta edictum hoc Saluatoris: SCRVTAMINI SCRIPTVRAS, QVAE TESTIMONIVM PERHIBENT DE ME. Hac profectò voce Filius Dei omnes homines excitat, vt monumenta Prophetarum & Apostolorum accuratè cognoscant, vt sint discipuli & frequentes auditores huius doctrinæ. ἐρευνᾶν enim est sagaciter aliquid inquirere, vt venatores multis adminiculis vtuntur, ad eliciendas feras ex latebris, & implicandas reti. Nec dissimilis adeò vox est & illa IMMANVELIS nostri: SI QVIS DILIGIT ME, SERMONEM MEVM SERVABIT, ET PATER MEVS DILIGET EVM, ET AD EVM VENIEMVS, ET MANSIONEM APVD EVM FACIEMVS. Ioan: 14. D. Augustinus hunc locum exponens ait: DEVS Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, veniunt ad nos, dum venimus ad eos: Veniunt subueniendo, venimus obediendo: Veniunt illuminando, venimus intuendo: Veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit nobis eorum non extraria visio, sed interna, & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna. Est hæc incomparabilis dignitas, quæ nihil homini in hoc seculo maius & excellentius obtingere potest, & eadem omnem felicitatem atq; salutem comprehendit. Nam quid quæso ijs deesse poterit, qui DEVM semper sibi præsentem, imò hospitem suum & ipsis inhabitantem, habent? Placent sibijpsis mirificè, quos Reges suo alloquio dignantur, aut ad quos illi aliquando diuertunt: Sed quid illud esse dicemus, si cum hac Dei felicitate conferatur, qui cùm æternum & summum bonum sit, in nobis tamen hospitium sibi deligit, qui & peccatores, & omnibus modis miseri atq; calamitosissimi sumus? Qui Deum sibi præsentem habent, ijs nec egestas, nec morbus aliquis, non Mundus aut illius princeps, non deniq; ipsa mors nocere potest. Si DEVS nobiscum, inquit Apostolus, quis contra nos? Excitet nos infinita hæc Dei bonitas, vt hospites istos excipere & retinere studeamus: Excipimus eos, vbi ardenti fide verbum Dei amplectimur & custodimus: Retinemus per obedientiam fidei, quæ carnis mortificationem, vitæ honestatem, innocentiam, & omnes alias virtutes hominis Christiani requirit.

Redibimus itaq; ad 16. huius mensis hora 9. non sine singulari quadam animi alacritate ad prælectiones sacras, & sacratissimam historiam Ezechiæ Regis, cum obsidione Vrbis & Templi Hierosolymitani, quæ extat in 2. Melachim, cap: 18. declamationibus nostris illustrabimus. Adiungemus quoq; Esaiæ Prophetæ commentaria, quæ suauissimam lucem huic historiæ adferunt. Pergemus tandem Deo iuuante in Apostolicis tractationibus, ad diem Sabbathi hora prima pomeridiana, & absolutis nunc Sacramentariorum obiectionibus, quas ad multas septimanas, in Scholastico congressu hactenus confutauimus, ad sequentem Pauli textum, qui restat inpriori ad Corinthios 11. capite, conuertemus animos. His adiungo S. Ephraimi consilium, quomodo scilicet legere vel audire legentem deceat, quod his verbis constat: ὅταν ταῖς θείαις βίβλοις προσομιλῇς, μὴ ἁπλῶς ἴσε κατεσπουδασμένος, ἐπιτρέχων ἓξ ἑπιπολῆς καὶ σπεύδων παρέργως τὰ γεγραμμένα ἀλλὰ κἂν δεοῖ, πολλάκις καὶ δὶς καὶ τρὶς τὸ αὐτὸ ἐπελθὲν εἰς ἀκρίβειαν μὴ παραιτήσῃ: πάλιν ἀλλὰ καὶ μέλλων ἀναγινώσκειν, ἢ ἀναγινώσκοντι προσέχειν ἑτέρῳ θέλῃστι προθέσεως τοῦ θεοῦ: κύριε λέγων Ἰησοῦ χριστέ, διάνοιξον τὰ ὦτά καὶ τοὺς ὀφθαλμούς τῆς καρδίας μου τοῦ ἀκούσαι τῶν λόγων σου, καὶ σωθῆναι καὶ τὸ θέλημά σου ποιῆσαι· πάροικος ἐγώ εἰμι ἐν τῇ γῇ μὴ ἀποκρύψῃς ἀπ' ἐμοῦ, τὰς ἐντολάς σου. ἀποκάλυψον τοὺς ὀφθαλμούς μου, καὶ κατανοήσω τὰ θαυμάσια ἐκ τοῦ νόμου σου. Hoc est: Cùm in diuinis libris versaris, noli tantum curare, vt leuiter percurras, & quæ scripta sunt obiter persequaris: sed etiam si opus erit, sæpè, & iterùm & tertiùm rem eandem perlegas, diligenter accurateq; sine recusatione. Quin etiam cùm aliquid lecturus es, aut alterum legentem auditurus, Deum priùs precare in hunc modum: Aures & oculos cordis mei, Domine IHESV, aperi, vt audiam & intelligam sermones tuos, & voluntati paream tuæ: Peregrinus ego sum in terra, mandata tua ne me celato: Patefac oculos meos, vt quæ sunt admirabilia in lege tua intelligam. Vale benè, optime Lector, in Domino. Datæ in Musæo nostro Parœtiæ Elisabethicæ, 11. Ianuarij, Anno exuberantis gratiæ: 1584.

84006/4

4. ESAIAS HEIDENREICH
Sacræ Theologiæ Doctor.